



12

# ANALECTA THESEA.



DISSERTATIO  
INAUGURALIS ARCHAEOLOGICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILIELMA  
AD  
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
RITE CAPESSENDOS  
DIE XXIV. M. JULII A. MDCCCLXV.  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
**HENRICUS HEYDEMANN**  
POMMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

OTTO FELMY, PHIL. STUD.  
CONRADUS KUESTER, MED. DR.  
GUSTAVUS LUPPE, STUD. PTIL.

**BEROLINI**

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.





**ADOLFO MICHAELIS**

PROFESSORI

**HERMANNO STUTH**

FAMILIARI

OPTIME DE ME MERITIS.



**H**omines miracula amare omniaque quae quibus ex caussis orta sint non statim declarare atque intelligere possint viribus caelestibus libentissimo animo attribuere constat.

Cum Persarum exercitus magnus, Datide et Artapherne ducibus, Graeciam peteret Atheniensesque Plataeensibus solis adjuvantibus pugna Marathone commissa hostem superarent superatumque ut in Asiam rediret cogere (Herod. 6, 109 sqq.) pii victores quae virtuti ingenio constantiae patriae amori debuere deis attribuerunt Theseumque heroem cum armis ex orco evasum pro Athenis in Medos pugnasse crediderunt (Plut. Thes. 35).

Quod imago illa in muro stoeae quae Poecile vocatur a Panaeno et Micone picta (Jahn, arch. Aufs. p. 17 sqq.; Brunn, gr. Künstl. II, p. 21 sqq.) memoriae tradidit celebravitque (Paus. Att. 15, 4), ubi Athenienses fortes cum fortibus Plataeensibus conjuncti Miltiade duce, qui (schol. Aristid. III, p. 566 D) manu porrecta liberos viros ad pugnam in barbaros faciendam incitat et provocat, vehementer pugnam ineunt et victoriose pugnant, dum jamjam Persarum una pars fugiens temere in paludem se trudit praecipitat delet, altera in naves festinans a Graecis obruitur trucidatur exstinguitur.

Adest loci deus Marathon ut agri sui gloriae testis; adest Echetlus ille qui (Paus. Att. 32, 4) aratro pro falce usus barbaros ut far maturum demetit; adest Hercules qui, a Marathoniis primum deus habitus, Atticam protecturus gratias agit; adest Minerva Jovis filia quoniam de sua urbe agitur; adscendit ex orco Theseus heros armatus et pugnae facit discrimen: hostis impius et superbus fugit.

Quae cum ita se habeant, quod apud Athenienses post hoc tempus magis magisque Thesei gloria augetur mirum non est. Usque adhuc non ita notus (quamquam fabulae de illius cum Minotauro Cretensi cumque tauro illo Marathonio pugna et victoria

et de infami Helenae raptu divulgatae erant<sup>1)</sup>, nunc Theseus qui Athenas populo in unum conducto condidisse dicitur (Plut. 24) populi attici heros nobilissimus proclamatur quoque magis Atheniensium potestas crescit eo latius Thesei gloria vagatur; quo magis Athenienses semet ipsos quaeque pro Graecia fecerint noscunt et intelligunt, eo ut ita dicam Junior fit Theseus qui omnibus Jonum vitiis omnibusque virtutibus praeditus Troezenae Athenas migrat (Stephani, Thes. Min. p. 3 sqq.; Curtius Pelop. II, p. 432 sqq.), quo in itinere omnibus Isthmi fabulis oneratur (Plut. 8 sqq.; Diod. 4, 59, Apoll. 3, 16; Hyg. 37) et celebratur ne Herculi heroi cum Graeco tum Dorico posthabeatur quem in Theseo praedicando fere semper et poetae et artifices imitabantur (Stephani ibid. p. 16 sqq.) quam imitationem aemulationemque saepius oleum sapere confitendum est.

Praecipue autem Cimon Thesei venerationem cultumque auxit qui a Pythia jussus ejus ossa per aquilam in Scyro insula reperta (Plut. Thes. 36) summo cum splendore Apsephone archonte (Ol. 77, 4—469 a. Chr. nat.) Athenas reportavit (cf. Bentley, Phalaris cett. ed Ribbeck p. 308 sqq.), templumque quod servorum asylum erat (Suid. S. v. Θησεῖοισιν, alii) ἐν μέσῃ τῆ πόλει (Plut. 36; Thuc. 6, 61) h. e. intra urbis moenia magnificentissime dorica structura adhibita erexit ibique (id quod summus erat honos, quoniam mortuos intra urbis moenia sepeliri apud Athenienses (Cic. ep. ad fam. 4, 12; Pans. Att. 29, 4; cf. Plut. Timol. 39) vetitum erat) Thesei reliquias sepelivit.

Quod templum nobis servatum esse inter doctos constat, etsi Rossius (Τὸ Θησεῖον καὶ ὁ ναὸς τοῦ Ἄρεως, Ἄθην. 1838; Das Theseion und der Tempel des Ares, Halle 1852) infelicissime Theseo auferre ablatumque Marti Atheniensibus fere ignoto attribuire, quod Overbeckio soli (gr. plast. I, p. 228) refelli non posse videtur, frustra tentavit (cf. Leake, Top. v. Athen, über v. Baiter-Sauppe

1) Quae facta in throno Amyclaeo ficta (Paus. Lac. 18, 7, 9.) cum Thesei representatione in Cypseli arca (ib. El. I, 19, 1) quae ad Minotaurum victum spectat, antiquissimae nobis Thesei representationes sunt. Nam si Lud. Stephanus (Thes. u. Minot. pag. 41) Thierschium secutus illam Thesei statuam quae Pausania auctore (Mess. 32, 1) cum Hercule et Mercurio Messenae in gymnasio erecta ποιήματα ἀνδρῶν Ἀλυπτῶν erat pro antiquissima putat representatione nos consentire non posse evidens est. cf. Overbeck gr. plast. I p. 20. —

II. ausg. p. 362 sqq.; Ulrichs Ann. XIII, p. 74 sqq. (reisen u. forsch. II, p. 139 sqq.); Curtius, Arch. Zt. 1843, p. 97 sqq.; Bursian ibid. 1863, p. 51 sqq.; Wachsmuth ibid., p. 98 sqq.)<sup>2)</sup>.

Quo facto poetae epici Theseum cecinere carminaque Pisandri Heracleidis simillima fecere (cf. Jahn arch. beitr., p. 271 not. 41); tragici ut praeter tres illos tragicorum principes, Achaeus Critias Carcinnus Theodectes (Welker, gr. trag., p. 958 sqq.) illius instituta et justitiam exercendi munera praedicant et laudant;

comici illius opera Herculeae salse pertrahunt et variant (cf. Poll. 9, 75; 10, 175; Athen. 3, p. 87 A; 10 p. 451 B; 15 p. 678 E; Liban. apol. Pantom. III, p. 344, 9 ed. Reiske);

oratores praecipue Isocrates tollunt; logographi ut Pherecydes Philochorus aliique (Plut. Thes. 14; 16; 17; 19; 23; 26; 27; 29; 35) nunc omnes perditum modo vel magis vel minus critico quae fecerit narrant et conjungunt;

sculptores (Paus. El. I, 10, 2; Arc. 45, 4; Phoc. 10, 1) pictores (Plin. 35, 69; 129; 137; Paus. Att. 15, 4; El. I, 11, 2; Phoc. 29, 4) opifices (cf. Gerhard, Aus. Vas. III, p. 33 not. 9; Jahn, arch. Ztg. 1865, p. 23 not. 3) formant fingunt;

solemnia aguntur (cf. Mommsen Heortologie p. 269 sqq.) et quae fortuna oppressi sunt ad auxilium vocant vota quoque faciunt (Mon. Just. 1845, VI t. 22; Ann. 1845, p. 249 sqq.);

ne multa tota respublica in Theseo semet ipsam ut personam mythicam vidit, quam omnes ut Theseus Atticus Dorico Herculi cum par tum antependendus sit maximo cum studio ornabant colebant fovebant.

At etsi Jones Doresque fere semper inter se dissentiunt arma-

<sup>2)</sup> Quod Thesei templum multis sculpturae ornamentis praeditum erat, quorum nobis haec restant: in anteriore latere Zophorus de quo vide infra § 2, et decem metopae quae Hercules labores praebent; posticae partis Zophorus Centauromachiam celebrat cum quaternae aliorum laterum metopae Thesei in Isthmo et in Creta opera bene gesta laudant. Perditae sunt praeter interioris cellae picturas a Micone (Paus. Att. 14, 2) fortasse cum Polygnoto (cf. Reines. et Valkenaer (Adoniaz. p. 374) ad Harpocrat. et Suid. s. v. Πολύγνωτος) factas quarum de vestigiis Letronnius (lettres d'un aut. p. 95 sqq.) loquitur, figurae vel aquilarum, ut Rossius contendit (Thes. p. 10 not. 32), vel unius aquilae sive orientalis Stuartio Leakio Ulrichsio auctoribus sive occidentalis, quod Boetticherus (Akropolisber. 1862 p. 183) contendit. „Sub iudice lis est.“ Ex Thesei templo sacra Georgii aedes facta erat; nunc reliquiarum artis Graecae museum est.

que conferunt, tamen Theseus qui etiam ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς vocabatur (Plut. 29; Zen. prov. 5, 48) cum Hercule nobilissimam atque firmissimam habet amicitiam. Quod Hercules ex orci vinctulis servaverit (Plut. 35; Eur. Her. fuc. 1156; et alii) gratias agens maximas heros Jonius Jovis filium furentem Athenas ducit (Eur. Her. fur. 1310 sqq.; Leake topogr. p. 365) omniaque templa sua quattuor solis exceptis<sup>3)</sup> (Plut. 35, Philochoro auctore) tradit et attribuit Heraclidisque non solum asylum praebet, sed etiam Eurystheo ignobili et potentissimo rege ut ex Attica expellerentur postulante armis protegit deorumque voluntate Argivos superat (Isocr. Panath. p. 273; Hel. enc. p. 214; Herod. 9, 27; Thuc. 1, 9; Diod. 4, 57; Paus. 32, 5; alii).

2. Quo cognito nullum heroem Hercule vix excepto majore gloria affectum esse evidens est.

„Detrahe Thesea Atheniensibus nullae aut non tam clarae erunt Athenae!“ Valerius Maximus ille tumidus putidusque scriptor Graecum illud „Οὐκ ἄνευ Θεσέως“ (Plut. 29; Zenob. 5, 33; Suidas s. h. v.) imitatus declamat (Memorab. 5, 3).

„Οὐκ ἄνευ Θεσέως“ et profecto Athenienses canendo fabulando fingendo Theseum cum omnibus ab aliis heroibus bene factis conjungi diligentissime studuerunt.

Postquam et bellum Trojanum et pugna in Amazones (Paus. 26. I, 11, 2: τὸ Ἀθηναίων πρῶτον ἀνδραγάθημα ἐς οὐχ ὁμοφύλους.) commissa apud scriptores Graecos (cf. Herod. 1, 1—4) expeditionis persicae exempla mythica facta signataque sunt, Theseus quoque antiquis de hac re fabulis collectis vel cum Hercule vel solus Pirithoo et Phorbante aliisque heroibus atticis conjunctis contra Amazones bellum atrocissimum gessit (Plut. 26 sqq.).

Cum Centauri illi lascivi in nuptiis Pirithoi cum Deidamia festive agendis vino incitati Lapithum mulieres virginesque rapturi sint, Theseus amicus punit fugat occidit (Od. Φ, 294 sqq.; Hes. Her. sc. 178 sqq.; Plut. 30) neque aliter in Scythas feros victoriosum quoque bellum gerit (Isocr. Panath. p. 273 C.; Paneg. p. 54 C.).

<sup>3)</sup> Quorum primum nobilissimumque erat quod nobis tam bene servatum est; alterum apud Timonis turrin in colle Colonaeo (Paus. Att. 30, 4); tertium in muro illo longo (Audoc. de myst. § 45; Leake top. v. Athen p. 298, not. 5.) quartum denique in Piraeo (Boekh. C. I. Graec. 103) situm fuisse videtur.

## Semper justitiae amore captus

— πολλὰ γὰρ δράσας καλὰ  
 ἔθος τόδ' εἰς Ἑλληνας ἐξελεζάμην  
 ἀεὶ κολάστης τῶν κακῶν καθεστάναι

(Eur. Suppl. 340 sqq.) Oedipum protegit (Apoll. 3, 5, 9; Sophocles Oed. Col.); Heraclidas defendit; Thebanos ad mortuos ut sepelirentur reddendos vel pugna vel persuadens cogit (Apoll. 3, 7, 1; Paus. Att. 39, 2).

Cum Meleagro aprum calydonium interficit (Apoll. 1, 8, 2; Plut. 29; Hyg. 14), ad Phasim cum Jasone vehitur<sup>4)</sup> (Apoll. 1, 9, 16; Plut. 29; Hyg. 17, 3); Pirithoo conjuncto Helenam rapit (Isochr. Hel. enk. p. 214; Plut. 31; Paus. Lac. 24, 7); et etiam ad inferos descendit (Diod. 4, 63); Apoll. 3, 10, 7; Plut. 31, 35).

3. Quae cum ita sint, quod de Thesei vita factisque multi scripserunt mirum esse non potest.

Quorum princeps Plutarchus est, qui nobis de Thesei vita rebusque gestis opusculum ex logographorum eorumque scriptorum qui Attidas fecere libris haustum atque excerptum reliquit, sed „judicio ut solet non satis severo adhibito excerpserit, ut distingueret fragmenta seriorum, inventa poetarum et famam priscam“ (Heyne observv. in Apoll. p. 349).

Simili modo Johannes Meursius libellum (Theseus sive de ejus vita rebusque gestis liber postumus Ultrajecti 1684) fecit, qui etiam nunc locorum qui apud scriptores Graecos Romanosque de Theseo restant compilatio non inutilis est.

Quod ad artis representationes pertinet, de pugna quidem inter Theseum et Minotaurum facta quam copiosissime et latissime Ludolphus Stephani scripsit (Der Kampf zwischen Theseus und Minotauros, Leipzig 1842, fol.); quaeque ad Ariadnam spectant satis ab Jahnio explorata sunt (Archaeol. Beitr. p. 251 sqq.).

Idem vir doctissimus fabulam de Hippolyto Thesei filio divulgatam optimo ut semper modo explicavit atque conjunxit (ibid. p. 300 sqq.), cum praeter alios Welkerus (Alte Denkm. III. p. 342 sqq.) et Schulzius (Die Amazonenvase von Ruvo, Leipz. 1851) quaecumque res de Amazonibus traduntur illustravere.

<sup>4)</sup> Sine dubio in cista illa quae Ficoroniaca vocatur, juvenis pileo tectus Theseus nominandus est qui cum Pirithoo amico suaviter colloquitur.

Quia autem quae Theseus puer juvenisque bene fecit usque adhuc nondum conjuncta neque perpetua interpretatione archaeologica illustrata sunt, nos hanc negligentiam in herois attici juventutem peccatam et commissam redimere corrigere volumus libellumque fecimus ubi primum de eis agitur quae Troezenae de Theseo puero narrentur;

tum quae opera juvenis Athenas per Isthmum migrans fecisse dicatur;

denique ea quae Athenis usque ad expeditionem Cretensem profecerit recensentur et explanantur.

Quorum tertiam solum partem hic emittimus, quia paullo post fore ut omnia artis opera quae Theseum celebrant collecta explicemus et declaremus sperare audemus.

### §. 1.

#### Quomodo Theseus et Aegeus se cognoscant.

1. Aegeus, Pandionis filius Atheniensium rex, liberis non relictis Delphos ut Apollinem consuleret profectus cum oraculum non intelligeret Troezena ad Pittheum regem sapientissimum venit qui oraculo audito ut cum Aethra filia se misceret persuasit, unde Theseus natus est qui Neptuni quoque filius vocatur quia ille undarum rex eadem nocte cum Aethra concubuisse dicitur.

Qui cum sedecim annos natus patris ense crepidasque sub saxo magno posita lapide submoto adeptus esset cupiditate gloriae accensus Athenas per Isthmum festinat, quo in itinere summae fortitudinis primitias fecit.

Vicit enim latrones illos qui viam Isthmiam turbare viatoresque maxima cum crudelitate interficere solebant: Periphetem Corynetem clava aenea prosternit, Sinidem Pityocamptem ad pinorum ramos flexos alligatum dilacerat; Phaeam suam, Calydonii apri matrem, interficit; Scironem in mare praecipitat, ubi testudo magna comedit; Cercyonem luctando superat ut Antaeum Hercules; denique Procrustem punit crudelissimum et mutilat, qui apud Cephisi flumen viatores torquebat. (cf. Plut. Thes. 3 sqq. Hygin. 38. Diod. 4, 59. Met. Ovid. 7, 433 sqq.)

2. Tantis rebus bene perfectis Theseus postquam a Phytali posteris ne sanguine fuso impurus esset benigne acceptus et ritu solemnium apud Jovis qui Meilichios vocatur aram lustratus est (Plut. 12;

Paus. Att. 37, 3; cf. Schömann Gr. altert. II. p. 345 ed. II.), omnibus ignotus Hecatombaeonis mensis die octavo (Plut. 12) Athenas venit i. e. in illum parvum pagum qui in meridiano acropolis pede situs erat (Thuc. 2, 15).

Qui cum talari veste indutus coma decenter atque eleganter plexa, juvenis pulcherrimus (Naecke opusc II. p. 87 sqq.) ad Delphiniū templum venisset, qui tunc aedificabant ei superbia stimulati quid virgo aetate nubili tam sola vagari auderet irridendo rogitare Theseus autem — ita pergit fabula<sup>5)</sup> — tacens disjunctis plaustrī quod aderat bobus plaustrum multo altius templi tecto ab illis erecto projecit; quo facto omnes attoniti obstupefacti mirantur.

Quae fabula multas praebet difficultates (cf. Becker Char. III. p. 159 sqq.) quae hunc in modum solvi fortasse possunt.

Mea enim opinione Athenienses, hac fabula ficta et divulgata, quod tam diu (Thuc. 1, 6., Eusth. Iliad. λ 685 p. 954.) longo Ionum chitonē (Hom. Il. N. 685; Strabo 10 p. 466.) usi essent non solum excusant sed etiam sese quamquam feminino amictu ornatos tamen fortissimos Graecorum et robustissimos esse praedicant atque laudant; sese majorum usum a Theseo factum solum conservasse, ut heroem honore afficiant.

Quare Aegei filio Athenas intranti a poetis ad patrum amictum gloriandum vestis talaris attribuitur, quamquam hoc modo non ita aptissimo amictus profecto latrones illos Isthmios superare non potuisset! Primus virorum Theseus — ita fabulantur — hac veste utitur moremque instituit, unde recte virginem putant fabri illi, quoniam feminae quibus longa vestis idonea est multo jam prius „έλεγχίτωνες“ erant, Herodotus autem qui fabulae mythicae historiam vim inesse putat sine dubio valde errat cum feminas Athenienses longo tempore post, uxoribus usque ad unum omnibus ab Aeginetis trucidatis, ad cladis dolorosae memoriam chitonem Ioniam pro Dorico accepisse tradat (5, 87).

3. Priusquam autem ab Aegeo patre filius proclamatus est, insidiae erant effugiendae a Medea paratae, quas Plutarchus (Thes. 12)

<sup>5)</sup> A Pausania solum quantum scio tradita (Att. 19, 1. ubi aut scribendum est: „ἀπολύσας δέ, ὡς λέγεται, τῆς ἀμάξης τοὺς βοῦς ἤσφισι παρῆν, τὸ ὄργανον (codd. τὸν ὄροφον) ἀνέβριψεν εἰς ὑψηλότερον ἢ τῷ ναφί τὴν στέγην ἐποιούοντο“ aut glossema „τὸν ὄροφον“ (ad τὴν στέγην adscriptum, quod in falsum textus locum venit) delendum est.

Euripideum drama cui „Aegeus“ titulus inscriptus erat, cujusque nonnulla nobis fragmenta servata sunt (Nauck trag. gr. frgm. p. 27 sqq.) sequens accuratissime nobis tradit quocum scholiastes ad Iliadem (λ, 741) assentitur, cum alii (Paus. Cor. 3, 7; Apoll. I, 9, 28 extr.; Diod. 4, 55; Iustin. 2, 11, 4.) brevi memorant.

Aegeus enim — ita Euripides fabulatur — cum Medea Creusa usta liberis Iasonis interfectis Athenas fugisset (cf. Pyl. de Med. fab. Berl. 1850 p. 84 sqq.) non solum ut pollicitus est (Eur. Med. 661 sqq.) protexit sed etiam eam quae ei liberorum spem injecit in matrimonium duxit, quam ob rem Pallantidae regni spe perdita tumultus movent urbemque et domum turbant.

Quae cum ita sint, Theseus desiderio patris patriaeque motus (frg. 6. Stob. flor. 39, 6) Athenas venit, omnibus Medea excepta ignotus, quae artibus suis fortem illum pulchrumque juvenem privignum esse bene comperit illudque poetae dictum (frg. 4. ex Stob. flor. 73, 14) quam verissimum esse demonstrat:

„πέφυκε γὰρ πως παισὶ πολέμιος γυνή  
τοῖς πρόσθεν ἠζυγεῖσα δευτέρα πατρί.“

Nam Aegeo cum aetate confecto tum tumultibus pavido timidoque ut juveni illi forti at ignoto qui sine dubio ad regnum petendum hospes adesset venenum daret facile persuasit ad quod spectat fragmentum illud apud Stobaeum servatum (flor. 73, 16):

Δειλῶν γυναικὲς δεσποτᾶν θρασύστρομοι.

Theseus autem ut patri cognoscendi occasionem praebeat in prandio ensem illum paternum ad carnem secandam capit et jam poculum fatale a patre datum sumpturus est —

„Cum pater in capulo gladii cognovit eburno

„Signa sui generis facinusque excussit abore.

(Orid. met. 7, 422.)

Et nunc gaudio percussus laetitiaque permotus rogitat:

Ποῖαν σε φῶμεν γαῖαν ἐλλειοιπότα

Πόλοι ξενοῦσθαι τῆδε; τίς πάτρας ὄρος

Τίς ἐσθ' ὁ φύσας; τοῦ κεκηρύξαι πατρός;

(frg. 1. ex Clem. Alex. Strom. 6 p. 742.)

et quae desiderio expectaverat compertus iterum senex garrulus:

Τί σε μάτηρ ἐν δεκάτῃ τόκου ὠνόμαζεν;

(frg. 2. ex Schol. Arist. Aves. 494.)

rogitat atque urget, cui filius cum nomen nuntiat, tum quae bene gessit quam accuratissime narrat, ardentem quae magna faciendi cupiditatem his verbis:

κατθανεῖν δ' ὀφείλεται  
Καὶ τῷ κατ' οἴκους ἐκτὸς ἡμένῳ πόνων  
(frg. 10. ex Stob. flov. 118, 8.)

et me iudice his quoque

„ Ἦπου κρεῖσσον τῆς εὐγενίας  
„ Τὸ κελῶς πράσσειν (frg. 9 ex Stob. flov. 86, 11.)

excusat atque probat.

4. Quam tragoediae catastropham nobis opus terra cocta factum<sup>6)</sup> praebet, cujus gloriam bene meritam multa exemplaria produunt<sup>7)</sup>.

Quorum prius exemplar etiam melius mihi quidem illud esse videtur quod nuperrime Museo Berolinensi insertum est et bene servatum Theseum Aegeum Medeam habet (B).

Theseus juvenis imberbis ense paterno cinctus crepidis subligatis, chlamyde de sinistro humero super tergum dextrumque femur labente, in sella sedet sinistrumque manum sellae tranquille imponit, cum dextra pateram vini (ut ille opinatur!) plenam ad labia tollit.

At Aegeus impedit qui repente filio per ensem suum cognito

<sup>6)</sup> Quod Winkelmann Millin Taylor Combe Inghirami Welker Panofka Overbeck falsissime Machaonem vulneratum Nestoremque cum Hecamedā ancillisque (cf. II. λ, 623 sqq.) vocant. Müllerus (gött. anz. 1834 p. 925) quem summo cum jure Toelken Jahn Stephani Pyl alii sequuntur, recte Thesei et Aegei anagnorismum in mentem vocavit. Joci causa Panofka auctore (bild. ant. leb. p. 51) memoremus a Böttichero Alexandrum Magnum Philippumque medicum cognosci; a Rombergio hominem quandam aegrum vomitantem (cf. Mus. Greg. II. 81, 1, b) videri.

<sup>7)</sup> Mihi nota sunt:

- A. opus Mus. Britannici: Taylor Combe terrac. 20; Inghir. Gab. omer. II, 117 Panofka bild. d. ant. leb. 7. 13; Overb. 17, 7.
- B. Campana, oper. plast. 68. Variis coloribus quorum vestigia quam debilissima servata sunt pictum. Nuperrime Mus. Berol. additum.
- C. Frg. apud Winkelmann. M. Ined. I, 127; Millin G. myth. 153, 577; Ingh. ib. II, 119.
- D. Frg. Berolinense 257 (Leitf. z. Vas. Terracolten n. Miscellaneus v. Gerhard. Berl. 1851 p. 57). Non ut fere omnes opinantur idem atque „C“ est.
- E. Frg. apud Agincourt, recueil de sculpt. ant. enterre cuite 4, 1.
- F. catal. Jenens. Mus. 256; cf. Stark arch. stud. p. 93 de cristae vestigio.

adsilit sinistra Thesei dextram retinet dextra in pateram ut removeat vehementer capit.

Profecto tam rude tamque vehementer amicus amico aegro pharmacum leniens miteque non praebet!

Ita pater attonitus quin filius unicus venenum bibit prohibet; ita pater qui maxima ob filiorum orbitatem tristitia obrutus sese invitissimo filium tam nobilem tamque fortem e medio sublaturus est poculum rapit filiumque servat!

Post regem, qui cum barba, habitu senili, chitone chlamyde soleis amictus taenia ornatus est, femina stola pallioque vestita obstupefacta caput demittit et adspectat, quam Jahnius (arch. Ztg. 1848 p. 317) non recte Aethram esse putat, nos sine ulla dubitatione Medeam insidiosam vocamus —

λέαιναν οὐ γυναῖκα τῆς Τυρσηνίδος

Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν

(Eur. Med. 1331 sq.)

Quam optime tota res expressa est; Thesei corpus juventutem cum robore conjungit; oculi libere atque tranquille in patrem figuntur qui terrore perfractus omnes senectutis vires ad filium servandum colligit; Medea deleta contempta perdita caput inclinat. Actionis ad summam perductae momentum maximo cum artificio representatum et facinoris celeritas bene ficta est.

Thesei Aegeique capita manuumque gestus plus aut minus mutilata nobis ex aliis ejusdem representationis operibus servata sunt (C. D. E. F.) quorum inprimis fragmentum Berolinense (D) summae pulchritudinis est, Jenense autem anaglyphum (F), Thesei caput mutilatum casside cristata ornatum praebens ab omnibus aliis ubi Theseus casside tectus non est discrepat, testimonium non rarum, quo modo libero antiqui opifices ejusdem representationis exemplaria repetiverunt variavere fecere, id quod nostri nunquam faciunt. (cf. Jahn einltg. in d. vasenk. p. 142 sqq.)

Eodem repetendi modo libero usus is, qui Musei Britannici (A) opus formavit, concinnam completam concisam Berolinensis anaglyphi (B) scenam duabus ancillis additis auxit atque supervacaneo modo amplificavit, quarum una post Thesei tergum addita pateram sinistra tenet dextramque admirata movet, altera post Medeam manibus super alvo compressis immobilis adstat et adspectat.

Me iudice Medeae reginae ancillae ab opifice a theatro sumptae et hic non ita bene additae sunt.

Quibus factis Medeam in curru a draconibus tracto (Hyg. fab. 27) cum filio ex Aegeo orto fugisse poeta certo cesinit (Paus. Cor. 3, 7; Apoll. I, 9, 28; Diod. 4, 55), cum aliis auctoribus (ut infra videbimus) Medea — venia accepta — Athenis manet vitamque degit<sup>8</sup>).

Aegeus autem Theseum filium proclamat riteque ad deis gratias agendas sacra peragit, itaque Euripidis drama desivisse pro certo habemus. (Plut. 12; Ovid. 7, 425 sqq.)

## § 2.

### De Thesei cum Pallantidis certamine.

1. At non diu Theseus a patre filius heresque proclamatus et a populo propter fortitudinem animo libentissimo acceptus Athenis tranquillam vitam degit.

Pallantis enim Aegei fratres quinquaginta filii (Plut. 3) qui Aegeo sine liberis mortuo regnum usurpaturos sese esse speravere cum Theseo advena illo atque veteratore intercedente spes subito evanuit, bellum inceperunt, de quo Philochorus quem fusius Plutarchus (Thes. 13) melius scholiastes (ad Eur. Hipp. 35) sequuntur, accurate tradidit atque descripsit.

Pallantis filii, patre ad Athenas expugnandus via Sphettia palam copias ducente, Gargetti cum aequalibus in insidias se collocant, ut cum Pallas pater in Athenienses a Theseo ductos tenderet atque acie decertaret, impetu facto aut urbem nudam caperent aut Theseum in tergum irruentes utrimque delerent.

Theseus autem a praecone Hagnusio cui nomen erat Leus, de insidiis certior factus repente cum aequalibus eos qui in insidiis erant aggreditur omnesque opprimit dissipat caedit.

Quae pugna in campo inter Gargettum et Pallenam sito commissa Theseo Athenas regnaque paterna quidem munivit; ut autem de agnatorum caede purgaretur aut Troezenem profectus est (Eur. Hipp. 34 sqq.) aut in Delphinio tribunali caussa dicta iustratus est (Paus. Att. 28, 10; Pollux. 8, 10).

<sup>8</sup>) Cf. Diod. 4, 56 init: καθόλου διὰ τὴν τῶν τραγωιδῶν τερατείαν ποικίλη τις καὶ διάφορος ἱστορία περὶ Μηδείας ἐξενήνεται.

2. Quae cum ita sint, utrum haec pugna in anteriore Thesei templi zophoro videnda sit, an non quaestio fit (Stuart Ant. of Athens vol. III ch. I pl. 15 sqq.; Müller Wieseler I, 21, 109: ubi tabularum ordo Ulrichsio recte conjiciente (Ann. XIII tav. d'agg. C; reis. forschung. II tf. 2 mutandus est).

Quorum prius Otfriedus Müllerus (hyp. röm. stud. p. 276 sqq.), quocum C. Fr. Hermann (Gött. anz. 1842. St. 50. 51) assentitur contendit, cum Ulrichsius summa cum sagacitate pugnam pro Heraclidis Theseo duce in Eurysthenum commissam vidit (Ann. 13, p. 74; reis. u. forsch. II. p. 139 sqq.) cui Curtius adnuit (arch. Ztg. 1843 p. 104).

Uterque mea opinione errat.

Quod ad demonstrandum zophorum adspiciamus atque describamus, qui sex tabulas continet, quarum quattuor orientale templi latera ornant, una, quinta, ad septemtrionem, ad meridiem altera, sexta, spectant.

Quam optime pugna in orientali templi latere sculpta ternis deis qui in saxis sedent includitur: quo impetuosior media pars, eo tranquillior utraque extrema; pulcherrime deorum quies et pugnae varietas inter se differunt. Illae quattuor tabulae pugnam ipsam praebent ardentem et cruentum; trans ternas deos quae post pugnam non dubiam fiunt representantur.

Dispositio quam accurata et severa, at tamen summa cum libertate sine rigore facta est.

Inter illos sex deos quorum hic duae feminae unusque deus sedent, illic dea inter deos aspicit, tredecim figurae sunt quorum media nobilis ille gracilisque heros est, cujus chlamys a sinistro brachio delabens ab heroe impetuosius irruente trahitur impetusque vim magnifice auget.

Manibus porrectis heros ferocissimi hostis saxa magna repulsat, qui contra illum resistere audet cum amicus quidam scuto armatus ad herois auxilium accurrere videtur.

Quae tres figurae centrum sunt pugnae, quae utroque in latere ex binis scenis formatur: e pugna inter duos viros ob mortui corpus commissa et e duobus viris qui hic accurrunt, illic fugiunt.

Denique trans ternos deos quini viri, quorum medius aut ligatus est aut ligatur, cum quae alii viri faciunt variatio est: symmetriam vides quam accuratissimam quae saepissime ut cognoscemus variatur.

In sinistro latere pugna ob mortui corpus dubia non est. Alter hostis ictus vulneratusque praecipitatur; victor ad corpus aut spoliandum aut auferendum se clinat, qui — ni fallor — scuto praeditus est.

Post illum duo viri in pugnam irruunt, quorum unus nudus cum casside scutoque, alter ut commodius pugnare possit exomide praeditus currit.

In dextro latere inter centrum tresque deos sito rursus unum militem nudum ab altero nudo saxo jactum pone mortui corpus deferri videmus, cum duo alii celerrime fugiunt, quorum unus nudus alter exomide amictus, uterque scuto armatus ut servaretur festinat.

Deorum qui proelium aspiciunt gestibusque solum adjuvant, hic sine ulla dubitatione Jovem sinistra manu sceptrum tenentem Junonem credemno velatam quae ad Minervam brachium tollit faciemque vertit cognoscimus. Pallas Athena hastam aeream dextra cepit, quae omnia nunc ut plurima hujus zophori aut deleta aut mutilata sunt. Altero in latere utrum Neptunum Cererem Vulcanum an alios deos Olympios videas, cum certa testimonia desint, dubitari potest.

Nunc ad meridianam tabulam vertamur, ubi viro nudo in genua nixo ab hoste chlamydato et casside tecto manus in tergum ligantur, cujus duo socii vestiti et armati alterum hostem perterritum in fugam vertunt. Denique septemtrionalis tabula hostem vinculis vinctum, qui cum effugere tentet humero ab uno capitur, ab utroque alio circumdatum et custoditum praebet, cum hominum quintus qui dextimus stat aut fodere videtur aut fortasse pedem vulneratum tollit.

3. Quibus percognitis Ulrichsii interpretationem sagacissimam ex Euripide haustam (Heracleid. 860 sqq.) falsam neque rectam esse evidens est, quamquam Theseum pro Demophonte qui revera dux fuerat (Eur. ib. 121 sqq.; Pherecyd. apud Ant. Liber. 33) recte neque inepte ab artifice scriptores alios secuto substitutum esse consentire possumus (cf. Isocr. enk. Helen. p. 204; Diop. 4, 57; Paus. Att. 32, 5).

Nam praeter alia non recte percepta virdoctus errat, cum inter Jovem Minervamque Hebam sedere credat quoniam totus habitus „juventutis deam“ excludit; errat si hanc false vocatam Hebam

ad eum quem Jolaum vocat manum porrigere contendit, quoniam deae dextra certo ad Minervam versa est; errat quia ille vir, qui falso Jolaus vocatur non ostendit brachii regenerati vim fortitudinemque (Eur. ib. 843 sqq.) sed profecto manum terrore motus tollit atque fugit; errat si ad triumphum celebrandum saltatores videt, cum inter omnes captivum custodesque esse constet; errat nam Argivi fugientes ad suos deos non fugiunt, sed deis neglectis se servant; errat quod Theseus non contra unum solum se defendit; denique errat quia nunquam artifex saxis pro armis adhibitis<sup>9)</sup> ad Gargetti lapidosam regionem alludere potest<sup>10)</sup>.

Quae cum ita sese habeant, Müllerus qui ad Pallantidarum cladem zophori ornatum pertinere et saxorum pro armis usum ad illorum genus giganteum (Soph. apud Strab. 9 p. 392) spectare declarat rectius iudicasse videtur.

At nobis quidem nunquam persuadebit, ut hoc Thesei facinus proditione perfectum atque agnatorum sanguine pollutum obquod per annum exul Troeze ne lustratus erat hoc zophoro celebrari credamus.

Perlustremur templorum ornamenta vel picturae vel sculpturae et videamus quae nobis metoparum zophororum aquilarum vel profecto servata vel a scriptoribus tradita sunt: nunquam impium scelestumque factum quod deis odiosum infame hominibus est fingitur, sed semper deorum vis potestas gloria benignitas in malos odium in bonos amor repraesentantur et celebrantur.

Parthenonis aquilae Minervam natam et Atticae possessionem a Minerva partam praedicant; zophorus pompam ad Minervae honorem factum celebrat.

Victoriae templum in tribus zophori partibus Atheniensium pugnas cum Amazonibus Persis Graecis commissas habet cum in quarta omnibus deis praesentibus Minerva pro sua urbe, pro Helladis Hellade, tam bellis compressa orat neque frustra orat.

Centauri Amazonesque undique deorum templa ornant, quorum

<sup>9)</sup> Ut heroes Homerici cf. Il. ε, 302; η, 268; λ, 265; ξ, 400; π, 578; 587; υ, 285.

<sup>10)</sup> Quibus probatis fortasse Wieselero auctore (Müller Wieseler I p. 16 sq.) Jolaum illum meridiana tabulae relinqui et septentrionalem tabulam ad Eurysthei mortem punitionemque spectare censebis: quo facto Ulrichsii interpretationi omnem vim detrahis detractaque nemini placet.

hi impudentiae causa puniuntur, alterae delentur quia, ut jam supra diximus, belli Persici mythicum exemplar, primum pro Graeciae libertate bellum erat. Graeciam petere insolenter ausae sunt Amazones, deorum vi atque auxilio vincuntur!

Herculis<sup>11)</sup> Persei<sup>12)</sup> aliorumque<sup>13)</sup> heroum res bene gestae victoriaeque deorum vim praedicant homines ad pietatem ferunt malos terrent.

At cur verbi illius γλκζ̄κκζ̄ Ἀθ'ήνκζ̄ς immemores sumus? Semper quae deis grata quaeque deorum vim gloriamque augent numinum heroumque templa ornant; nunquam factum odiosum, ut Pallantidarum clades perfidissima, templis ornamento erat.

5. Qua re motus Mülleri interpretationem comprobare nequimus neque ad aliorum praesertim Leakii interpretationem (Topogr. Athens p. 368 sqq.) redire dubitamus qui gigantomachiam tam saepe in templis representatam<sup>14)</sup> videt, quam nos quoque permultis correctis refutatis substitutis cognoscimus certoque credimus.

Cujus gigantomachiae testimonium non dubium est quod saxis pro armis utuntur (Hes. theog. 675 sqq.; Plato Soph. p. 246 A.) cum neque quod gigantes aliorum heroum similes (cf. Od. η 58.; 206; κ 120; Hes. theg. 185) sunt neque quod maxima parte nudi sunt mirum sit; utrumque in vasis et in anaglyphis saepissime reperitur<sup>15)</sup>.

Sin autem Leakius deos pugnantes nominatim significare tentat (p. 372), hoc nunc quidem tam mutilatis figuris non possumus; et

<sup>11)</sup> In Heraclei Thebis aedificati aquila (Paus. Boeot. 11, 4) a Praxitele facta; in metopis Thesei templi (Stuart, *ibid.* pl. 11. 12); in templi Delphici metopa (Eur. Jon. 192 sqq.); templorum Selinunte (Müller Wieseler I, 4, 24; Serra di falco Antich. II, 34. Overb. gr. plust. I p. 131 fig. 16); Spartae (Paus. Luc. 17, 3).

<sup>12)</sup> Selinunte (Müller Wieseler I, 5, 25); in Minervae Chalcioeci templo Paus. Lac. 17, 3).

<sup>13)</sup> Ut Bellerophontis (Eur. Jon. 203 sqq.); Dioscurorum (Paus. Lac. 17, 3.); Argonautarum (in metopis Paestianis cf. Welcker AD I p. 174 n. 67.) et aliorum.

<sup>14)</sup> Quae quam saepissime templa ornant: cf. Heraei metopas (Paus. Cor. 17, 3); Delphici templi metopas (Eur. Jon. 208 sqq.); Parthenonis (Leake *ibid.* p. 400 n. 12.); Selinunte (Serra difalco Ant. II, 28, 29. Müller Wieseler I, 5, 26, 27.).

<sup>15)</sup> Cf. Wieseler Hall. Encyclop. s. v. „Giganten“; cf. Gerhd., Aus vas. I 5; 6; 64, 2 (ubi Apollo chrysaorensem in gigantes stringit); II 84; El. cér. I 1—11 quorum praecipue 4; Mon. Ined. d. Inst. 1863 VII, 78; Gerhard, Trinksch. gefäße I, 2. 3; Trinksch. 10. 11 (ubi gigantes undi sunt) etc.

certo errat — alios errores ut tabularum ordine non reperto symmetriae defectus defensionem non rectam praetermittamus — vir doctissimus, quod illam centri figuram gracilem pro Neptuno putat qui Nisyrum insulam in Polybotem jactit: quod falsum est, cum illam personam saxum non jacere sed repulsare evidens sit.

Tamen hunc procerum heroem victoriosum, totius zophori principem, nomine vocare possumus: hic est Theseus, qui — alter Hercules — gigantes vincit.

Notum est (Apoll. 1, 6.) deos solum mortali adjuvante gigantes vincere potuisse; quare alii Herculem a Minerva adductum esse (Eur. Her. fur. 1180 sqq.; Soph. Trach. 1058; Pind. Nem. 1, 67) canunt, alii Dionysum nondum deum factum pro deis pugnasse (Diod. 4, 15; Schob. Pind. Nem. 1, 67; cfr. Eur. Bacch. 542 sqq.) produunt.

Quibus variis fabulis divulgatis quis est qui Atticorum Theseum praedicandi studium Aegei filio etiam hoc munus attribuisse negare possit? Attica erat fabulae versio, Theseum mortalem illum deorum adiutorem fuisse, cujus opera gigantes victi essent, quam versionem etsi a scriptoribus non traditam per Zophorum me iudice servatam videmus.

Fortasse Herculem praeponas, cui Theseus ut scimus templa tradidit templorumque fecit participem, ita ut decem metopae cum Zophoro anterioris partis ad Herculem laudandam factae sint, altera sculpturae ornamenta Theseum praedicent.

At figurae proceritas omnino vetat Herculem esse representatum; et profecto Thesei modestia nimia fuisset, si Herculi anterioris partis omnia tradidisset, ipseque utroque latere contentus fuisset! Immo Thesei modestia manifestatur quod Herculi anteriores metopas dat, cum ipse latera occupare satis habeat.

Itaque quam optime Thesei templi ornamenta divisa sunt, quorum octo metopae et uterque Zophorus Aegei filium laudant, decem aliae metopae Herculis gloriae plenae sunt.

Tranquille Atticae terrae numina hic Jupiter cum uxore et Minerva illic inter Neptunum et Vulcanum Mater Eleusinia adspectant; alii dei Theseo mortali duce atque adiutore undique victores sunt, idquod tabulae meridiana et septemtrionalis praebent ubi gigantes ut morti pernicii dedantur vinculis onerantur.

Quod meum de Zophoro Thesei templi anteriore arbitrium.

## §. 3.

## De Theseo et tauro Marathonio.

1. Pallantidis interfectis atque deletis postquam lustratus et purgatus est, ut populi salutem augetet, pro populo novum suscipit certamen taurumque Marathonium e medio tollit.

Herculis enim postquam Eurysthei jussu peracto taurum cui cum Neptunus quondam Minoi ut immolaretur misisset, Cretae rex pulchritudine captus alio supposito atque dedicato pepercerat, a Neptuno irato insanum redditum Mycenae egit (Stark arch. stud. p. 90; Gerhd., Aus. vas. II, 98, 1. 3; Berl. Ant. Bilder. N. Erw. 1705), vinculis solutis per Graeciam vagari sivit (Apoll. 2, 5, 7; Diod. 4, 13; Paus. Att. 27, 9).

Qui taurus quam ferocissimus per Isthmum in Marathoniam fugit regionem ibique omnia delet Androgeumque ipsum Minois fortem filium ab Aegeo ut bestiam trucidaret missum interficit (Apoll. 3, 15, 7; Paus. *ibid.*).

Ita Marathonis incolae fabulantur cum ad Androgei mortem a Neptuno per Neptunium taurum factum ut Minois regis justam poenam demonstrandam, tum ad Thesei gloriam augendum qui Hercule excepto solus tantam bestiam horridam interficere possit!

Aegei filius chlamyde crepidisque indutus petaso praeditus ense cinctus<sup>16)</sup> postquam ab Hecala anu ut a Molorcho sene Hercules benignissime acceptus votisque factis dimissus est qua de re Callimachus docte largeque cecinit (Naecke opusc. II), Marathonem venit et taurum domat domitumque aut interficit (Hyg. 38) aut Athenas ducit, ubi Plutarcho auctore (Thes. 14) a Theseo Apollini Delphinio, Pausania auctore (Att. 27, 9) Minervae immolatur, cum Diodorus (4, 59) Apollini Aegeum sacrificasse prodit.

<sup>16)</sup> Callim. frg. 149: „ἀλλ' ἵα" χρυσεῖησιν ἐεργομένην ἐν ἐτῆσιν.  
frg. 313: „πέδιλα" τὰ μὴ πύσε νήχυτος εὐρώς.

frg. 124: ἀμφὶ δὲ σκεφαλῇ νέον αἰμονίηθεν  
μεμβλωκὸς „πίλημα" περὶ τροχὸν ἄλλαρ ἔκειτο  
Ἰδεὸς ἐνδοῖο (cf. Bergk ztschr. f. altertumsw. 1844 p. 931).

frg. 51: ἀδρήσιον „ἄορ" (cf. Naek op. II p. 75.)

Quod ad frg. 59: στάδιον δ' ἐπίεστο χιτῶνα pertinet non cum Naekio (opusc. II p. 85.) consentio qui Callimachum ut ad illam fabulam supra memoratam alluderet hunc chitonem Theseo attribuisse credit. At nunquam tam frigidus tamque ineptus est Callimachus fragmentumque ad Hecalam spectare mea opinione constat.

Quae pugna, qua maximam gloriam sibi parat<sup>17)</sup> id quod cum scriptores (Isocr. Enk. Hel. p. 214; Lucret. 5, 25; Strab. 9, p. 399; Stat. 12, 581; et alii) tum artis opera affirmant, cum Minotauro Helenaeque raptu antiquissima est (cf. not. 1 supra) fabula sine dubio in regione Marathonia de Theseo orta, ubi etiam de amicitiae cum Pirithoo initio, de Helena in Aphidnis vicinis custodita, de Thesei mortui contra Persas in pugna illa Marathonia commissa auxilio fabulae in omnium ore erant.

Quod si aliorum factorum representationes, ut cognovimus, ab antiqua arte fictae non sunt, hoc opus in vasibus nonnullis cum nigris figuris, sine ulla dubitatione reperitur. Cum Hercule autem confundi non potest Theseus, si primum Herculem nunquam taurum interfecisse (Apoll. 2, 5, 7; Diod. 4, 13; Paus. Att. 27, 9), tum Theseum in antiquioris temporis vasis ipsis, ut Apollinem (Berl. Vas. 1031. Gerh. Trinksch. 4, 5; N. Erw. 1735, III, p. 27), fere semper juvenili corpore imberbem<sup>18)</sup> fingi in mentem vocavimus, unde justae neque dubiae representationes quam facillime reperiuntur.

2. Quod factum primum in throno illo Amyclaei Apollinis circa Ol. 60 (a. Chr. nat. 540) a Bathycle Magnesio cum aequalibus aedificato atque ornato (cf. Brunn, gr. künstl. I, p. 52 sqq.) representatum esse nobis Pausanias (Lac. 18, 7) prodit quamquam inter doctos non constat<sup>19)</sup>.

Caussas a Stephano ad taurum nostrum videndum adductus, non plurimum valere ut Jahnius recte demonstravit, confitemur, cum Pausaniae illud alio in loco dictum (Att. 24, 2: εἴτε ἀνὴρ εἴτε θηρίον ἦν) non ad Minotauri corporis formam sed ad fabulae interpretationem spectare mihi quoque videntur. At tamen opus illud

<sup>17)</sup> Cujus facti in memoriam honoremque a Theseo primum nummos illos aereos percussos esse ajunt (Plut. 25) tauri vittato capite ornatos (cf. Combe, Hunt. 10, 28 sqq. cett.)

<sup>18)</sup> In Minotauro trucidando usque ad huc perpauca vasa cum nigris figuris ornata Theseum praebent barbaturum: Stephani cf. 1 (Berolin. Vas. 1643); ib. 2; ib. 3 (Berol. Vas. 1700); Cab. Durand n. 408; Cab. Pauckoucke n. 20.

<sup>19)</sup> Paus. Lac. 18, 7: τὸν δὲ Μίνω καλούμενον Ταῦρον οὐκ οἶδα ἀνθ' ὅτου πεποίηκε Βαθυκλήης δεδραμένον τε καὶ ἀγόμενον ὑπὸ Θηρέως ζῶντα. Quod Stephani (p. 65) Kuhnio auctore ad taurum Marathonium spectare putat; alii ut Jahn (arch. beitr. p. 257 sqq.) Brunn (N. F. Rhein. M. V p. 328) Overbeck (gr. plast. I p. 88 not. I, 1, d.) Schubert, (Paus. Uebersetz. VI bd. p. 38 ff.) Minotaurum vident.

Amyclaeum semel taurum Marathonium praebuit meaque opinione Pausanias mythologiae fabularumque peritissimus non tam erravit quam cum representatio fortasse tempore confecta neque bene manifesta fuerit false coniecit.

Nam primum nunquam usque adhuc Minotaurum vinctum a Theseo et ductum reperimus; tum autem inprimis nunquam in tanto opere et tam magnifico idem bis etsi vario modo ab artifice gravi bonoque formatum factumque esse credimus, quod in interiore throni parte Minotauri pugna caelata erat.

Qua re motus in Bathyclis opere mentionem Thesei cum tauro Marathonio pugnae antiquissimam habemus, ubi, ut in aliis Atheniensium nummis aereis (Pembroke II, 46, 1; Combe NBrit. 6, 17), Theseus taurum vinctum ligatumque ut sacrificetur Athenas agit.

Quod anaglyphum aequae atque opus a Marathonii Athenarum acropoli dedicatum nobis servatum non est (Paus. Att. 27, 9), idemque contigit operi quod poetae ignoti epigrammate valde laudetur nisi fortasse ad Marathoniorum dedicationem spectat (Anthol. graec. Planud. IV, 105):

Θαῦμα τέχνης τάυρου τε καὶ ἀνέρος, ὃ ὁ μεγαλκῆ  
 Θῆρα βίη βρίθει, γυῖα τιταινόμενος·  
 Ἴνας δ' αὐχενίους γνάμπτων, παλαμῆσιν ἔμαρψεν,  
 Λαιῆ μυκτῆρας, δεξιτέρη δὲ κέρας.  
 Ἀστραγάλους δ' ἐλέλιξε, καὶ αὐχένα θῆρ ὑπὸ χερσίν  
 Δαμνόμενος κρατερᾶς ὄκλασεν εἰς ὀπίσω.  
 Ἔστι δ' ὄψασθαι τέχνης ὑπο τῷ δ' ἐνὶ χαλκῷ  
 Θῆρα μὲν ἐμπνείειν, ἄνδρα δ' ἰδρῶτι ῥέειν. —

Contra operum duo marmorea duoque fictilia nobis servata sunt<sup>20</sup>).

Quorum metopa (1) summo cum artificio perfecta est, ubi

<sup>20</sup>) Marmoreorum operum

1. Thesei templi metopa (Stuart. Ant. of Athens. vol. III ch. I pl. 12; fig. 8; Müller Wieseler I, 20, 107; Overb. gr. plast. I p. 231 fig. 38.)

2. Anaglyphum Athenis repertum (Stuart. ib. III ch. I titelvign.)

Fictilium:

3. Campana opere plast. ff. 64.

4. ibid. ff. 120.

Thesei caput brachiumque dextrum dextroque cum pede, tauri autem os et posteriorum pes dexter perditum sunt.

Theseus chlamyde tectus (2. 3. 4) tauri cornu dextra capto (Callim. frag. 247: θήρὸς ἐρωήσας ὀλοὸν κέρως) celerrime bestiae adsilit cursuque impetuosisimo cum bestia currit (ibid. 275: ἀμὲν εἴλαεν, ὁ δ' εἴπετο νωθρὸς ὀδίτης): non diu taurus resistet; mox cursum remittet et a Theseo tranquillus Athenas ducetur, etsi etiam nunc cauda fero atrocique modo tergum flagellat.

Simili modo anaglyphum Athenis repertum (2), quod quo nunc servetur mihi quidem ignotum est, pugnam praebet: at Theseus non tam eleganter et leviter concurret, cujus capilli longi per auram volant.

Summa similitudo inter epigrammatis illud opus et anaglyphum fictile est (3), quod nunc cum tota Campanae operum terra cocta factorum collectione haud scio an Lutetiam Parisiorum translatum sit.

In tauri qui in priores pedes praecipitatus est tergum dextro genu Theseus juvenilis staturaque gracili et forti nititur et dextra nares, sinistra cornu capiens bestiam ad terram premit domatque, quae frustra se erigere tentat. Herois chlamyde velati clava humi jacet ut manifestius spectatoris in mentem vocetur manibus solis belluam a Theseo superari atque domari.

Aliter ejusdem collectionis anaglyphum fictile Theseum taurumque praebet (4).

Theseus imberbis et juvenilis, ense cinctus, chlamyde a sinistro humero dependente, tauri nares dextra, sinistra cornu capit captumque qui vehementi cum saltu effugere vult pedibus manibusque retinet.

Ad hoc virgo chitone dupplici pallioque usa accedit quae humi procumbens aut potius praecipitata in terram sinistra nititur, dextrum autem terrore et admiratione perfracta tollit, cum pallium aura motum circa caput in undae modum se curvat.

Sine dubio regionis nympha representata est, quae ob bestiae robur impetumque obstupefacta nimis pro Theseo metum habet atque ipsa perterrita est.

Quare quoque nos primum Dircam terrore obrutam humi stratum quae ne tauro adligetur supplicans manum porrigat representatam esse putasse confitemur; at quoniam fratrum neuter deesse

debet<sup>21)</sup>, ad Thesei pugnam redeamus, qui nympa Marathonia praesente taurum domat et superat.

Verumtamen „si quid novisti rectius istis“ libenter accipiam<sup>22)</sup>.

3. Quibus sculpturae operibus cognitis, vasorum picturae observandae sunt quae saepissime hanc pugnam victoriamque praebent optimeque in duas partes dividendae sunt, quarum una nigris figuris altera rubris ornata est.

Quarum prior pars me iudice quantum scio usque adhuc sex vasa certissimo modo continet<sup>23)</sup>, cum omnes picturae, ubi heros barbatus taurum vel laqueo vincit vel clava enseve minatur (Laborde Vas. Lamb. II, 22; Mus. Greg. II, 36, 1a; Dubois Maisonn. Introd. 34; etc. etc.) ut jam diximus ad Herculem spectant.

Theseus semper imberbis semperque juvenilis modo nudus (A. B. C. E), modo chitone (D), vel veste cincta (F) vel chlamyde implicata (E) indutus, ense cinctus (A B) et taeniatu (A. B. D. F) tauro obvisus currit et occurrentem aut manibus ad terram premit (B. C. D. E) aut cultrum in latus pellit (A. F) et interficit. Saepius chlamys (A. C. D. E) clava (A) pharetra (A. E. F) de arboris ramis dependent, cum in uno vase (E) clavam dextra, sinistra funem ad ligandum tenet<sup>24)</sup>, in altero (B) comes chitone et thorace usus — fortasse Pirithous quocum Marathone amicitiam (Plut. 30) fecit — Thesei clavam chlamydemque portat manibusque porrectis adhortatur.

<sup>21)</sup> Omnes Dircae poenitae representationes utrumque fratrem habent cf. Müller Wieseler I, 47, 215 a, b, c; Jahn arch. beitr. III, 3. Wandgem. Pamfli IV, 11.

<sup>22)</sup> Ne praetermittamus scarabaeum, ubi Theseus dextra ensem ferens sinistram admiratione occupatus porrigens ante tauri Marathonii caput in columna positum stare dicitur (Bull. 1838. IV. cent. 37. p. 103). cf. representationes Meleagri ante apri Calydonii caput stantis similes ut gemmam Berol. IV, 165; statuas illius celebratas (Berl. Ant. Bildw. 418; cett.).

<sup>23)</sup> Vasorum cum nigris figuris nota mihi sunt:

A. Stackelberg, Graeb. d. Hell. 14, 3.

B. Tischbein, Vas. V, 24; Inghirami Vas. fitt. III, 242.

C. Gerhard, Ausz. Vas. II, 98, 5. 6.

D. Ibid. IV, 313, 1.

E. Dubois Maisonneuve, Introd. 24.

F. Berol. Mus. 1979 (N. Erw. III, p. 108; nondum quantum scio publicatum est).

<sup>24)</sup> Cujus vasis neglegenter picti duae feminae in equo vectae quae representationem includunt me iudice ad Theseum non spectant; at cur additae sint dici non potest.

Ut hic Pirithous adest, ita in vase (A) Marathoniae regionis nympha accurrit utque opus perficiat monet, in altero (C) Minerva casside longaque hasta armata in sella (ὄκλαδίζης) sedet, juvenis autem nudus — mea opinione incola quidam Marathonius — qui chlamyde brachium clupeat perterritus fugit, quo Thesei animus fortis bene et demonstratur et praedicatur.

Non aliter vir nudus hastaque praeditus (D) declarandus est, qui facie versa effugit; quadriga autem quae inter Theseum victoriosum fugitivumque Marathonium ab viro scuto cassideque armato atque fere omnino operto regitur, Thesei regis filii currus esse videtur.

Denique in hydria Berolinensi (F) hic Minerva aegide casside hasta scuto armata quae adhortatur, illic nympha marathonia cum hasta in saxis quadratis sedent; ad quos in latere ubi nympha est Mercurius accedit qui petaso caduceoque notus in solio sedens adspectat: id quod mirum neque mihi caussa evidens est.

4. Multo perfectiores pugna victoriaeque in vasibus cum rubris figuris<sup>25)</sup> pictae et representatae sunt, quorum una major pars quo

<sup>25)</sup> Vasorum cum rubris figuris quae publicata sunt:

- A. Gerhard, Ans. Vas. Vas. III, 162, 1.
- B. Mus. Greg. II, 82, 3.
- C. Mus. Borb. VIII, 13. Inghirami Vas. fitt. I, 54.
- D. Millingen, Div. Coll 11; Berol. mus. 906; Panofka, Mus. Bartold. p. 133.
- E. Millin Vas. I, 43; Gab. myth. 129, 485. Ingh. ibid. IV. 376.
- F. Dubois Maisonnave, Introd. 13, 2.
- G. Inghirami Vas. fitt. IV, 364.
- H. Antiquit. du Bosph. cimmérien 63, 2 (valde afflicta laesaque est vacis pictura).

Quae memorata vel descripta sunt:

- I. Cylix Basseggiana Romae nunc Mus. 824\*. Gerh. Ans. Vas. III p. 33 not. 9a; Arch. Zt. 1846 p. 289 sqq. Bisidem pictum est.
- K. De Witte cat. étr. p. 65; Gerhard, ibid. 9b. Apud Duc de Lugnes.
- L. Cab. Durand n. 348 p. 122 (nunc Mus. Brit. 825); Gerhard, ibid. 9c.
- M. Cab. Durand n. 336 p. 118 (descriptum: Bullet. 1832 p. 117).
- N. Coll. du prince Canino Vente 1845 n. 75; Gerhard, ibid. 9f.
- O. Auphora Feschiana n. 1492; Gerhard, ibid. 9h.
- P. Cylix a Welkero Sienae memorata Hdb. §. 112, 1. Bis idem.
- Q. Vas Clusinum Bull. 1840 p. 149.
- R. Museo Borb. St. IV Arm. III; Bull. 1851 } Sine dubia idem unum vas.  
p. 47. Neapals Ant. Bildw. p. 316. }
- S. Mus. Borb. St. VIII; Bull. 1851 p. 48. Fortasse idem vas atque (C)?

modo taurus vincatur (A. B. C. D. E. H. I. K. M. O. P. P. Q. R. S) ostendit, in altera parte Theseus victum Athenas ducit (F. G. L. N).

Priore in parte Theseus, cujus pellis leonina semel (D) humi jacet, semel chitone indutus (A) et pileo praeditus (M), modo sine armis (A. D) modo ense cinctus (B. C) qui etiam cum chlamyde in arbore pendet (A), aut taurum obvium ruentem laqueo vincit (A. B) vel genibus ut majore robore utatur flexis et cornibus utraque manu captis ad terram premit (D), aut genu in tauri tergo nixus cornu capit clavamque ad interficiendum stringit (C. I. M).

Pugnae exitum felicissimum et victoriosum vel caput corona laurea ornatum (B. E) vel Victoria modo advolans (C. E. R. S) modo adsidens (D) quae vel taeniam (D. E) vel coronam ramumve (C. R) praebet, nobis indicant.

Adspectat partim homo (A) barbatus et taeniatu, chitone longoque pallio amictus, baculo nixus, quem Aegeum vocare nemo dubitabit; aut nymp̄ha Marathonia (H. R) quae in uno vase victoriae ramos praebet (R), in altero perterrita (cf. illius Campanae anaglyphi nymp̄ham) fugit (H)<sup>26</sup>; partim Pirithous juvenilis, cum chlamyde (C. H. S) et pileo de tergo pendente (C. S), hasta scutoque armatus (C. S) adstat atque adhortatur, vel amicus noster Thesei scutum portat loroque equum tenet (B).

Saepius autem herois patrona, Jovis filia, adstat (B. C. D. S) vel adsidet (E. H), nunc aegide scuto hasta armata (B. H) nunc scuto humi clinato crurium alteri alterum implicans in hasta nixa (C. D. S); quae in Museo Borbonici vase (C) luxuriose monili corona radiata inauribus armillis veste stellata amicta est, cum vas Bero-linense (D) habitum quo simpliciorem eo nobiliorem atque digniorem praebet.

Minervae quae cum gaudio herois factum adspectat praesentia hujus fabulae majorem aetatem prodit et hoc opus a poetis epicis jam prius cantum et ornatum esse conjicere sinit (cf. Jahn arch. beitr. p. 271 sqq.), cum in operibus Isthmiis celebrandis tantum

<sup>26</sup> Me judice illa virgo vasis in Tauride reperti quod certe tempori artis Graecae ultimo attribuendum est quae mitra phrygia velata et orientali veste amicta (cf. Medae Paridis aliorumque Asigenarum habitum) perterrita Theseo taurum laqueo — ut videtur — amplectente et lingante fugit „nymp̄ha marathonia“ est propter pugnam illam Persarumque cladem asiatico modo vestita.

bis Minerva, heroum patrona benigna, adest (Passeri 248. Panofka tod d. Skir. 4, 1; Gerhd. Aus. vas. III, 234).

Multo aliam representationem praebet kylix illa (K) cujus reliquiae praeterea Sinidem Scironem Cercyonem Procrustem celebrant.

Theseus tauri impetu humi stratus est et certae morti daretur, nisi Minerva celeriter ad auxiliandum occurreret.

Quod si hac in pictura Theseum fere victum videmus, in altera illius victoriam eo majorem pictor fecit (E).

Theseus coronatus nudus cui victoria advolans taeniam praebet dextra clavam tollit sinistraque taurum impetuosum ita retinet, ut bestia fera ante Minervam quasi ad deam adorandam in genua procumbere debeat. Minerva cassidem quae festivo modo lauro ornata est portat et cum scuto hastaque in saxo sedet, cum Aegeus pater barbatus taeniatus chlamydeque velatus baculum nodosum tenet filiique fortitudinem manu mota admiratur.

Quae pictura nos ad alteram vasorum (F. G. L. M.) seriem bene traducit, quae taurum victum a Theseo Athenas ductum praebent atque et cum illo throni Amyclaei anaglypho et cum nummis Atheniensium aereis comparanda sunt.

Theseus coronatus (F.) brachio sinistro quod chlamyde implicatum est tauri cornu capit, dextraque manu clavam tollit, ut taurum nunc quidem mansuetum si effugere aut furere audeat statim verberare et domare possit.

Anteit laeto gradu virgo dupplici chitone cincta quae facie ad heroem versa pateram guttumque ad deis libandum et immolandum tollit.

Similiter (G) Theseus coronatus ense cinctus petasoque a tergo pendente praeditus taurum ducit qui posteriore et altero priore pedibus fascia vinetis effugere nequit, cum Aegeus calvis capillis baculo nixus sequitur virgo autem eodem amictu habituque ut supra (F) usa antecedit.

Nulla praesente taurus a Theseo pellitur (L), qui (ut in A) capillorum fere femineo ornatu utitur, quod fortasse ad Atheniensium crobylum tettigasque alludit aut potius Thesei magnam juventutem laudat.

Denique in altero vase (N) quod Periphētis Sinidis Phaeae clades poenasque conjungit, taurus ille ferus qui ab Hercule solutus

totam Graeciam vastavit tam domitus tamque mansuetus est, ut a Sileno quodam ad immolandum ducatur: at aliquid accuratius de vase nondum publicato notum non est.

Qua bestia victa et domita Theseus cum reversus Hecalam bonam mortuam esse certior factus esset, dolore occupatus Jovis Hecalei appellationem et sacra Jovis Hecalesia cum honorifica Hecalae mentione instituit: „ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας“. (Plut. 14; Naeke opusc. II. p. 268 sqq.)

#### §. 4.

#### Theseus ut in Cretam proficiscatur Athenas relinquit.

1. Paulo post illud factum quod sine ulla dubitatione antiquissimum, gloriosissimum celebratissimumque erat suscepit Cretamque profectus Minotaurum delevit.

Cum enim tertium (Plut. 15, 17) ad Minoem Cretae regem ut Androgei mors sive Aegeo invitissimo sive per dolum facta (Plut. 15; Apoll. 3, 15. 7) lustraretur septem puellas totidemque pueros (cf. Sappho et Bachyl. apud Serv. Verg. Aen. 6, 21; Eur. Her. fur. 1313; Plat. Phaed. p. 58, 7; alii; cf. Stephani, p. 36 sqq.) Athenienses mittere coacti essent, qui in Labyrintho illo inclusi a Minotaurum devorarentur, Theseus ut patrem a calumnia et odio, a malo et tristitia urbem liberaret, ultro<sup>27)</sup> sese in poenae societatem civibus obtulit oblatumque in Cretam venit, ubi Ariadna adjuvante illum omnia bene perfecisse nemo est qui nesciat.

Nomina autem victimarum quae Servius ille Vergilianus (ad Aen. 6, 21) ex Theseidarum una sine dubio hauriens nobis tradit quod neque cum vasis quod „François-vase“ vocatur nominibus<sup>28)</sup> neque cum aliis vasis<sup>29)</sup> consentiunt mirum non est, at potius unde fiat quam evidentissimum est (cf. Jahn, Einlgt. p. 117 sqq.).

<sup>27)</sup> cf. Plut. Thes. 17: ταῦτα (civium in Aegeum patrem calumniae) ἦντα τὸν Θησέα, καὶ δικαίων μὴ ἀμελεῖν, ἀλλὰ κοινοῦναι τῆς τύχης τοῖς πολίταις, ἐπέδωκεν ἕαυτὸν ἄνευ κλήρου προσελθῶν κτλ. Vide Ofr. Mülleri proleg. wiss. myth. p. 20.

<sup>28)</sup> Phaidimos, Daidochos, Eurysthenes, Euxistratos, Antiochos, Hersippos, Prokritos — Hippodameia, Menestho, Koronis, Damasistrate, Asteria, Lysidike, Periboia (vel Eriboia?).

<sup>29)</sup> Cf. vasis ab Archicle et Glaukyte facti pictura (Monach. coll. 333) quae nomina praebet: Simon, Antias, Lykinos, Lykios, Solon (Siron?) — Empedo, Glyke, Anthylla, Euanthe, Eunike, Timo. Vel „Vas Leydense 1652“ (Janssen inscr. p. 52 ff. 8, 3) quod habet: Kallikrates, Prokritos, Phainippos — Astydama Timodike.

Quorum nomina Servius haec prodit Ludolfo Stephani (p. 38 sqq.) et Ottone Jahn (arch. beitr. p. 453; einltg. p. 118 not. 862) auctoribus sic restaurata et emendata:

„Hi pueri Phorbas Aethlii, Idas Argadis, Antimachus Euandri, Menestheus Suniani,<sup>30)</sup> Daidocus Rhamnuntis, Demoleon Cydantis, Puellae hae: Periboea Alcathei,<sup>31)</sup> Medippe Rari,<sup>32)</sup> Hesione Celei, Andromache Eurymedontis, Medusa Polyxeni, Europe Laodici, Melite Thriagoni.“

Quorum solus Daidocus et Periboea in vasis ut videmus iterum reperiuntur.

Quibus sorte electis Theseus ad Apollinis Delphini templum festivam fecit pompam; deinde deo Delphis consulto post sacrificium miraculosum Venere adjutrice Atticam reliquit et valedixit (Plut. 18).

Quam valedictionem mea opinione cylix illa praeclara praebet, quae Vulcis reperta vulgo „Codri vas“ vocatur (Braun, die schale des Kodros, 1843 Gotha), cujus de pulchritudine eximia omnium in unum congruunt sententiae.

Theseus (Θησευς) juvenili corpore in viatoris modum crepidis petaso chlamyde praeditus gladioque armatus dextra manus in duabus hastis nititur, cum sinistra latus premit oculosque ad patrem Aegeum figit, qui (Αιγευς) taeniatus ut alii omnes chlamyde praeter dextrum humerum tectus baculo nixus ante filium stat qui profecturus domumque paternam quam ensis petasusque suspensi indicant relicturus est.

Si Theseus securus atque audax adest, cupiditate novam gloriam adipiscendi periculi magnitudinem spernens, pater amore captus severe filium intuetur (quasi praesaga mente sese nunquam filium redeuntem esse visurum!) et miti anxioque animo illa de velo aut albo aut nigro contrahendo mandata praedicat mandat inculcat.

Quis est qui his visis illos suavissimos versus Catullianos in

<sup>30)</sup> Audacter Bergkius (Zeitschr. f. d. altertumsw. 1844 p. 936 not.): „Sciri Salamini“ legere vult; fortasse solum „Sciri“ verbum rectum justumque est.

<sup>31)</sup> Quam Pausanias quoque memorat (Att. 42, 1: φαίνεται γὰρ τὴν θυγατέρα Ἀλακάθου Περιβοίαν ἄμα Θησεὶ περῆσαι κατὰ τὸν δασμὸν εἰς Ἡρίτην).

<sup>32)</sup> Codd, Pyrii; Stephani: Perii, Pylii, Pyris; Jahnius Pyrrhi vel potius „Rari“ legere vult, quod probamus.

mentem non revocet, quos Aegeus filium complexus dicit et queritur :

„Gnate mihi longe jucundior unice vita,  
gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,  
reddite in extrema nuper mihi fine senectae,  
quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus  
Eripit invita mihi te, cui languida nondum  
lumina sunt gnati cara saturata figura  
non ego te gaudeus laetanti pectore mittem,  
nec te ferre sinam fortunae signa secundae,  
sed primum multas expromam mente querelas,  
canitiem terra atque infuso pulvere foedaus,  
inde infecta vago suspendam lintea malo,  
nostros ut luctus nostraeque incendia mentis  
carbasus obscurata decet ferrugine Hibera.“

(Cat. 64, 215 sqq.)

Post Thesei tergum Medea (Μεδεια) — quem auctorem Medeae Aethraeque praesentiae pictor secutus sit, nobis ignotum est — cecryphalo tecta et chitone amicta cassidem bene cristatam dextra tollit et oculis in Phorbantem coniectis clam ridens galeae pulchritudinem laudare et casside praebita ut Theseus abeat urgere videtur. Dolosam mulierem quae venia accepta ita gratias agit, ut de Theseo maximum periculum suscipiente gaudeat gaudiumque vix celare possit!

Phorbas (Φορβας) barbatus chitone et thorace indutus, scuto et hasta armatus ut Theesum ad navigandum adhortetur celeriter advenit: heros nobilis non audit Medeae clandestinum risum; non videt fraudem subdolanam; non observat mulieris ludibrium laetum. Quam optime a Medea malitiosa et impia Pitthei filia Aethera (Αιθηρα) se differt quae chitone talari induta et pallio omnino praeter faciem dextramque manum velata adversus filium tristi vultu oculos tenet: profecto summo cum jure quoniam filius unicus abit magnumque periculum suscepturus est quam tristissima est! Veram pulchramque castae uxoris, pia matris, nobilis matronae imaginem praebet.

Nulla potest esse dubitatio quin ad expeditionem Cretensem pictura spectat, quam Thesens Aegeo vivo suscepit a Phorbante magistro et auriga comitatus, ut idem Phorbas Pherecyde auctore Thesei in Amazones comes fuerat (Schob. Piud. Nem. 5, 89).

2. Nemo quod alias quoque cyclicis tam eximiae picturas declaro vituperabit praesertim cum neque Braunii interpretationem quocum Bruunius (Jahrb. f. wissensch. Krit. Berl. 1845. Maiheft p. 701 sqq.) assentitur neque Jahnii (arch. aufs. p. 181 sqq.) conjecturas a quibus Bergkiius (Zeitschr. f. d. altertumsw. 1844 No. 117. p. 929 sqq.) paullo discedit comprobare possum.

Theseum ab ingratis Atheniensibus cum ex orco redisset expulsus et Gargetti in loco qui serius araterium (Ἀρατήριον) vocatur Athenas exsecratum esse (Plut. 35.) notum est, Menestheum autem regem factum esse dicunt.

Cujus flagitii cum Lycus Pandionis filius auctor fuisse dicatur (Schol. Aristoph Plut. 627.; schol. Arist. III. p. 686 ed Dind.), illum vel Aegeo mortuo vel Theseo apud inferos victo Athenas rediisse evidens est, quoniam dissidio propter regnum facto ab Aegeo fratre expellitur inque Lyciam ad Sarpedonem profectus Atheniensibus opinantibus ibi populo nomen dedisse (Her. 1, 173; Paus. Att. 19, 4) vel Messeniis τὰ τῶν μεγάλων θεῶν ὄργια portasse traditur (Paus. Mess. 2 4).

Qui ut primus sykophantes vocatur, ita Menestheus demagogorum princeps nominatur (Plut. 32), quocum quanquam Thesei filius in bellum Trojanum se contulisse videmus (Paus. Att. 23, 10) et post illius mortem regna paterna illos accepisse cognoscimus (Plut. 35), tamen fabula fuisse debet qua Menestheus expulsus sit, ad quod Strabonis illud Menestheum in Scylletium Bruttiorum colonos duxisse alludere videtur (IV. p. 261; cf. Bergk ibid. p. 933).

Quibus cognitis ad alterum vasis latus redeamus, ubi mea opinione hac de re agitur.

Lycus (Λυκος) ille insidiosus, longa cum barba, chlamyde implicatus supinus baculo nititur sinistraque latus premens fere insolenter stat et despicit in virum imberbem juvenili statura qui chitone thorace scuto hasta usus tetrico maestoque vultu acriter sykophantem intuetur verbisque gravibus et severis opprobria facere et ut Theseus revocaretur postulare videtur. Nomen ei adscriptum est non bene servatum at sine dubio Ajax (Αἶας) legendum est, qui populi verbis nomineque propter Theseum expulsus ad flagitii auctorem accedit, ut satisfactionem postulet.

Ajax Salaminiius adest, cujus matrem Theseus in matrimonium

duxerat (Plut. 29; Athen. 13 p. 557 A.) quique ab Atheniensibus heros atticus<sup>33</sup>) adoptatus post Theseum „proximos occupavit honores.“

Heros atticus pro heroe attico, pro patre filius loquitur.

Quo tranquillior Ajax quia bonum justumque factum iri sperat, eo impetuosior quoniam omnia fore vana non ignorat ad Ajacem auxiliandum Minerva dea (Αθηναια) Thesei patrona hastam dextra tenens accurrit, cujus aegidis serpentes ut deae animus concitatus significetur sibilantes se erigunt.

Jovis filia caput sinistramque manum indignabunda et quasi quod Menestheus accedere audeat attonita in hunc Atheniensium regem vertit, qui (Μενεσθευς) ad Lycum juvandum cujus opera rex factus sit in viatorum modum amictus petaso de tergo pendente cum hastis enseque armatus advenit.

Post Menestheum nympa demi Melitaei (Μελιτε) qui Ajacis filium Eurycacem cumque filio patrem honoribus venerabantur (Plut. Sol. 10; Poll. 7, 133; Harpocrat. s. v. Κολωνίτης) adspectat. Adest ut Ajacis patria Attica quae sinistra leviter in latus imposita contento hilaroque animo quid Ajax suus heros faciat exspectat.

Quod si Theseus in uno cyclicis latere pro patria pericula suscipit, in altero patriae gratias accipit ingratas.

Itaque quam optime cyclicis latus utrumque quae ad dispositionis formam pertinent summo cum artificio parallelismum maximum servant, cum quae aguntur valde inter se discrepant, quorum illic initium hic finis rerum representatur; illic Thesei magna audacia pro Athenis fortitudoque et patriae amor landantur, hic Ajacis pietas, Atheniensium in Theseum impietas mensque ingrata representantur.

Ante regem patremque tristem Theseus alacer securus juvenilis, qui ad patriam bene juvandam in periculum abit; ante Lycum impium Ajax tetricus maestus qui novae patriae flagitium expiare vult quidque mali factum est extinguere studet.

Illic Medea astuta pellex gaudium spemque Thesei mortis male

<sup>33</sup>) Cf. Il. β, 557 sqq. cum schol. ad Il. γ, 230; Herod. 5, 66; Soph. Aias 202; 861; Philostr. Her. 11, 2; Welker, Niebuhr's Rh. Mus. III p. 61 sqq.; Schöll z. Soph. Aias p. 60 sqq., p. 95 sqq.

celat; hic Minerva tristitiam motum palam ostendit; illa Theseo odiosa et noxia haec patrona amica.

Thesei innocentis comes accedit Phorbas; in Ajacem se parat Menestheus, qui Lycum adjuvare vult; ille bonam rem, hic malam auget. Non male Ajacis Phorbantisque habitus et amictus consentiunt, cum Theseus eodem quo Menestheus utitur itaque parallelismus figuram quae chiasmus vocatur praebet; utriusque autem fines similem formarum amictuum representationem habent.

Denique Aethra mater tristis dolore obruta pro filio preces, vota que ad deos mittit, Melita autem sui herois opus tranquillam mente cum gaudio adspectat.

Ita similitudines variationesque semper alternantur et reciprocae sunt: id quod non minimum pictoris meritum et artificium atque pulchritudinis picturae eximia gloria atque laus est.

Exteriore parte cognita medium picturam perscrutemur, quae nobis virum ocreis thorace chitone scuto<sup>34)</sup> hasta casside bene armatum cui Codrus (Κοδρρός) nomen est praebet quocum homo barbatus et taeniatus (Αινετός) longo pallio amictus dextram lateri applicans sinistra in baculo nitens loquitur.

Regem illum fortem representatum esse qui mortem pro patria quaesivit quaesitamque invenit inventaque Minervae urbem liberavit (Herod. 5, 76; Just. 2, 6, 16 sqq.) apud doctos constat; Aenetus autem, Braunio sagaciter conjiciente, vates ille est qui Codro regi oraculum grave dedit, cujus verum nomen fuerat Aenetus, quod cognomine illo praecalare „Cleomantis“ expulsus oblitteratumque est (Lyc. in Leocr. 85 sqq.)<sup>35)</sup>.

Vatem Codro oraculi responsum enuntiantem videmus, in quo tota Athenarum salus sita erat; itaque historicum representationem habemus quacum non saepius vasa ornata sunt<sup>36)</sup>.

34) Quod chimaera ornatum est, cum Phorbantis scutum serpentis imaginem praebet, Ajacis autem taurum habet, quae apotropaea aptissima et signum quam optime ad ἀσπίδα θοῦρον spectans sunt.

35) Cf. Tisias-Stesichoros (Suid. s. h. v.); Tyrtamos-Theophrastos (Diog. Laert. 5, 38; Cic. Orat. 19, 62; Quinct. 10, 1, 83) et alii.

36) Cf. Croesum in rogo sedentem (Welcker, A. D. III ff. 33.); Darei expeditionis in Graeciam faciendae consilium (Ibid. V, 23. Archaeol. Ztg. 1857, ff. 103.); Arce silai silphium vendentis cavillationem jocosam (Welcker, ib. III t. 33. Panofka Parodien n. Karrik. III, 3.).

Quibus perspectis cum tam pulchri tamque boni vasis pictor sine dubio una idea motus picturas conjunxerit, quo modo Aenetus oraculum nuntians Codrusque deorum voluntatem accipiens cum Thesei expeditione Cretensi cumque Ajacis in Thesei inimicos urbemque ingrattam accusatione atque postulatione cohaereant cognoscamus, qua in cohaerentia interpretenda a media pictura quia historicam representationem praebet, ut facile intelligitur proficiscendum est.

Quae cum ita sint, mea opinione trilogiam quandam habemus cujus idea fundamentalis illum utrumque virum celebrat et laudat, quorum opera Atheniensibus democratiae fundamenta atque initia gravissima data instituta sancita sunt.

Primo in dramate Theseus regis filius — *μη ἀμελεῖν ἀλλὰ κοινωνεῖν τῆς τύχης τοῖς πολίταις δικαιῶν* (Plut. 17) — pro patria dericulum suscipit summum et Atheniensibus a tributo flagitioso solutis reversus democratiam fere completam instituit vel tamen instituisse dicitur (Demosth. in Neaer §. 20, p. 1370, 16; Diod. 4, 62; Plut. 24; Paus. Att. 3, 2).

At populus — idquod alterius lateris dramatisque medii argumentum est — nondum aetatem adeptus est ut se ipsum regere possit. Theseus prior reipublicae institutor a civibus ingrattissimis expellitur. Frustra Ajax heros frustra dei ipsi ingrattum populum docent postulant flagitant.

Denique Codrus sese victimam praebent sua morte populo patriaeque libertatem liberumque statum dat: alter Athenarum pater sua morte Thesei opus coronat et rempublicam ut juvenem ad munera publica suscipienda ita in historicam tempus introducit atque parat.

Fortasse vel potius cylix nostra cum nobili Pindari hymno optime comparanda est.

Ut enim Pindarus fere semper rem historicam vel personae quam carmine praedicat conditionem cum simili fabula mythica comparat saepiusque hanc fabulam mythicam multo largius extendit splendidissimeque narrat, ita etiam nostri vasis pictor.

Codri gloriam pingit, qui Aeneto consulente pro patria in pugnam it mortique se dedicat. Non aliter Theseus ille heros pro patriae salute in Cretam ad sese Minotauro tradendum vectus est, quem Aegei filium permultis bene factis tamen in exilium pellit

populus ingratus, qui Ajacis verbis ipsis aliorumque deorum precibus non motus nobilissimum hominum munus „gratias habendi“ neglexit et contempsit.

Sed haec hactenus, quoniam jam longa haec esse et intelligimus et jure metuimus.

3. Quod si hac in cylice Theseus, priusquam ad Minoem festinat, patri valedicit, alterum opus<sup>37)</sup> me iudice quomodo Aethra, tristissimam relinquat praebet.

Si ante patrem sine metu alacer audax est, ante matrem tristitia occupatur.

Quod anaglyphum fictile, nunc Berolinensis Musei proprium, pulcherrime suavissimeque factum est.

Ubi Theseus nudus chlamyde a tergo pendente tristissimo vultu capite inclinato, sinistra baculum vel clavam tenens ante matrem quam relicturus est stat dextramque ad labia ducit, ut homines si quid agant loquanturve nesciunt facere solent. Etiam Theseus ipse tristis quomodo matrem tristissimam consoletur nescit.

Aethra chitone a micta maerore obruta in lapide sub arbore sedet, et in sinistro brachio nixa manu dextra pallium ut se velet lacrimasque occultet tollit, cum ab humero sinistro vestis labitur, id quod tristitiae signum esse constat<sup>38)</sup>.

Post Theseum ima illius navis puppis nudis alluta conspicua est, quae heroem Nausithoo gubernatore, proreta Phaeace (Philocho. apud Plut. 17; Mommsen Heort. p. 269 sqq.) in Cretam portatura est.

Qua pietate in optimam matrem completa, Theseus vela dat, atque facit.

<sup>37)</sup> Mon. Ined. d. Inst. 1863, VII cf. 83, quod anaglyphum fictile nuperrime Berolinensi Museo additum si a Rutgersio (Ann. 1863 p. 466) ita declaratur, ut Aegeus Aethram Troezenem relictam valere jubeat, propter herois imberbis juvenile corpus gracilemque staturam probari a nobis non potest. (cf. Mus. Rorb. II, 12; IV, 28; Jahn, Ztschr. f. A. W. 1842 p. 884.)

<sup>38)</sup> Cf. eundem vestis habitum eadem causa factum Mus. Rorb. 8, 22. Zahn III, 46; Overbeck 12, 10. Ternite X heft 31; Millin gal. myth. 102, 427 cett.

Quibus factis nos vela nunc contrahimus. Ad finem pervenimus quaeque perquirere voluimus perquisivimus. Restant plurima nisi fere omnia in hoc libello quae aliorum efflagitant postulantque opem. Nullum autem gaudium majus sincerius optatius esse potest quam illud si qui et doctrina instructiores et ingenii acumine magis praediti obscura illustrabunt corrupta expedient manca supplebunt. Quae quamquam permulta fore confitemur, desperationi non indulgemus; et si juvenis viribus nondum sufficientibus saepius erravit, tamen voluntatem fore laudandam sperare audet optat rogat. Dies nos multa docet praesertim in studio archaeologico, cui — hoc est in votis — omnes vires totamque vitam dedere liceat mihi concessumque sit.

Scribebam Berolini mense Julio a. h. s. MDCCCLXV.

## V I T A .

**H**enricus Gustavus Dieudonné Heydemann Pommeranus die XXVIII mens. August. anni h. s. XLII. Grypswaldae natus sum patre Gustavo, matre Josephina de gente Ernotte, quos parentes dilectissimos carissimosque Dei gratia adhuc pia mente amo atque veneror. Fidem confiteor christianam.

Cum pater, qui jurisconsulti munera exercet, Sedinum migrasset, hujus urbis gymnasium tum auspiciis Ill. Hasselbach florens, quem Cel. Peter dein Cel. Heydemann secuti sunt frequentavi ibique doctissimorum praeceptorum institutione eruditus sum, quorum cum omnibus tum Francisco Kern, nunc Scholae Portensi addicto, nec non Carolo Schmidt, magistro dilectissimo, summas ago gratias.

Auctumno anni h. s. LXI. maturitatis testimonio instructus civibus universitatis Tubingensis adscriptus sum studiis philologicis operam daturus et per duo semestria vivos ill. Bursian, Pauli, Reiff, utrumque Roth, Schäffle, Teuffel audivi.

Tum universitatem adii Bonnensem, ubi scholis interfui virorum ill. Jahn, Ritschl, Schaarschmidt, Simrock, Springer.

Hinc anno peracto Grypswaldam migravi ubi me militantem per annum docuere viri ill. George, Michaelis, Schoemann, Usener.

Pede fracto dimissus Berolinum me contuli et audivi viros ill. Friederichs, Gerhard, Haupt, Trendelenburg.

His omnibus qui studia mea auxerunt gratias ago quam maximas, inprimis vero Eduardi Gerhard et Adolphi Michaelis summa in me merita semper gratissima memoria prosequar.

## SENTENTIAE CONTROVERSARUM.

- I. Archaeologia philologia monumentalis est.
- II. In antiquo illo anaglypho Atheniensi (Schoel, Arch. Mittheilg. aus Griechenl. tf. 2, 4; Overbeck, gr. plast. I. p. 129; Beulé la sculpt. avant Phid. p. 106.) non femina sed vir in curram inscendit.
- III. Hujus aurigae capillorum comptus crobylos est. (Cf. Beulé ibid. p. 91; Gerhard Auszerl. Vasenb. III, 173, 206; Trinksch. 9, 2; Mus. Greg. II 9, 53; 56; 58.)
- V. Apud Pausaniam in Att. 19, 1: Θεσεύς δὲ ἄλλο μὲν αὐτοῖς ἐδήλωσεν οὐδὲν, ἀπολύσας δὲ, ὡς λέγεται, τῆς ἀμάξης τοὺς βούς ἢ σφίσι παρῆν, τὸ ὄργανον (codd: τὸν ὄροφον) ἀνέρίψεν ἐς ὑψηλότερον ἢ τῶ νὰῶ τὴν στέγην ἐποιοῦντο legendum est.
- V. Agasiae Dosithei filii pugnator ille Borghesianus cum Theonis Samii hoplita pugnante (Ael. V. H. 2, 44.) comparandus est.
- VI. Templum Victoriae quae APTEROS vocatur Athenarum in acropoli Cimone mortuo aedificatum est.
- VII. In sculpturae operibus non solum oculos labia comas sed etiam totam faciem pictam esse ex Platone constat (resp. IV, p. 420 C).
- VIII. Venus illa in Melo insula reperta non scutum tenet, sed manu porrecta hostem repellit.
- XI. Socrates ille philosophorum princeps neque Gratias neque Mercurium qui Propylaeus vocatur fecit. (Cf. Plin. 36, 32; Paus. Att. 22, 8).